Clar. D. Hipstedio J. Philemon S. P.

de ao 1642.

Quod literis tuis, Virorum praestantissime, tardius respondeam, id iniquitati temporum tribuas velim. Voluntas certè ad te scribendi nunquam, sed occasio defuit, quam tamen, ut primum sese obtulit, avidè arripui. Te cum D. Freitagio inter amicos hilariter agere, gaudeo, Deumq; precor, ut quemadmodum nos patriae salvos ac incolumes reddidit, ita deinceps omnes actiones vestras fortunet, et si ita visum fuerit, felices, omniq; bonorum genere cumulatos ad nos iterum reducat. Ego imprimis, Amicorum desideratissime, reditum tuum ardenter expeto, voveoq; me diem illum, quo iterum te videre, conspectuq; tuo frui contigerit, albo notaturum lapillo. Intereà, dum tu à nobis abes, omni auxilio destitutus in veteri pistrino, quo fatalis quaedam me detrusit necessitas, fatiscens, oneri laboriq; succumbo, nec auxilii vel liberationis spes usq; affulget. Vernerus verò albae gallinae filius, qui idem aliquando nobiscum volvebat saxum, nunc è specula Amsterdamensi prospectans nos despicere videtur. Is cum nuper mihi adfuisset, multa prae se tulit hilaritatis signa, conditionisq;, qua nunc fruitur, praestantiam multis verbis depraedicavit: nec id immeritò. Nactus enim est (: vide quanta hominis felicitas!) Maecoenatem magnum studiorum Thalmudicorum Arabicorumq; fautorem, et qui ad illa promovenda sumtus liberaliter ipsi suppeditare paratus est. Quin et ad iter in Syriam suscipiendum se strenuè accingit, et nisi remora aliqua objiciatur, intra trimestre illud ingressurus est. Quod si vobis stat sententia in Galliam proficisci, hic Achates Lutetiam Parisiorum vos comitabitur, inde Massiliam se conferet atq; conscensa navi Ligusticum mare sulcabit. Genuae excursionem faciet, et inde cum mercatoribus, qui eò ex plurimis Christiani orbis partibus magno numero convenire solent, Alepum versus, ubi Arabica studia maximè florere dicuntur, vela faciet. Haec ipsi animo destinata sunt,

modò votis Deus annuat. Pluribus te obtundere supersedeo. Vale et vive nostri memor. salutabis nomine meo D. Freitagium, Altingium, Tobiam Andreae, et uterque salvebit à Barone et Comitibus. Lugd. Batav. 30. July 1642.

T. N. addictissimus
J. Philemon.

Inscriptio.

A Monsieur, Monsieur Hipstedt, Gouverneur de Monsieur Freitag
pour le present à Embden.

303. Quamprimum res haec erit integra, fac, ut alter exemplum à me habeas: secundas terrae amicorum tu exemplum à me habeas: secundas autem feret Dn. Breittingerus nr: cui opportune literas nostras transmittere poteris. Suaseras aliquando ut litteris meis compellarem Cl. virum Dn. Lucam Chmielecium Medicum Mulhusinum. Quod nunc demisse facio, teque oro ut sortem meam, optimo illi viro rursum commendare velis. Patrueli etiam meo Gallo Pareo iterum aurem vellito litteris meis. recreavit is me optimo nuncio de fratris Davidis Parei capitanei παλιγγενησία. Rediit enim in gratiam cum Ecclesia Christi à qua ad AntiChristianam fructisse defecerat. Quo nuncio mihi sane gratior nullus esse poterit: Nunc militat Gallo sub vexillis Helvetiorum. Utinam maneat ἐν πίστει nec redeat ad vomitum. Ego tibi mi Charissime Dn. Compater et frater senectam meam commendo ut si qua possis me sublevas. Duram enim ago vitam: neque durior, quod non licet pedem hinc movere, cum viribus omnibus exhaustus paene sim adeò ut tripes incedere cogar. Ea parte tamen felicissimum me agnosco quod Deus in effoeto corpore animum mihi largitur tranquillum, et φιλόπονον: tametsi non pari successu, quo olim, cum sanguis adhuc integer esset. Laboro, quantum possum: et nunc totus sum in reliquis monumentis paternis ad Christum adornandis, si vel postea fata

editio